

*Castellanus Bassanensis,
Poema Venetiane pacis inter
Ecclesiam et Imperatorem*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities
Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Castellanus Bassanensis,
Poema Venetiane pacis inter
Ecclesiam et Imperatorem*

1331

Exsurgant Venete preconia clara per orbem
digna cani et lauto decorari carmine gentis
et vigilant, sopita diu, terrisque sub omni
climate distinctis exempla celebria donent:
Ecclesie matri parere patrique favere
pontifici summo, crucis ad vexilla subesse.
Area scribendi pateat latissima, quamquam
res gestas Venetum si prosequar ordine, qua sint
parte soli pelago felici sorte profecti
et sua si referam primordia bella triumphos
que mundi variis e partibus ante tulerunt,
rebus et immensis mea mens, mea cederet etas.
Nonnisi nunc lites tractataque federa pacis
per Venetos dicam, rubre quas nomine barbe
commovit princeps adversus principis almam
naviculam Petri moderatoremque verendum
lintris Alexandrum qui, tertius ordine patrum,
istud Alexandros post binos nomen habebat.
O pater omnipotens, o fili, o spiritus alme,
una Dei paritas personis insita ternis,
exhilarare animum vatis, quo metra decenti
nostra cheli resonent. Sed tu, clarissime fili
Christe patris summi, cuius specialior hic nunc
res agitur, – pulsus fuit ille vicarius alma
sede tuus tandemque tua pietate reductus, –
annue principiis, medio concede potiri,
fine tibi grato vigeat per secula carmen.
Et tu, Marce, Dei verax historice nati,
cuius in ecclesia gratissima federa pacis
facta fuere sacri patris cum principe rubro,
fautor ades linguamque tuo largire poete:
ut quoque per seriem tribuisti dicere quondam
gesta michi, dum te canerem, vitamque necemque

adventusque tuos Pellea ex urbe revulsi
teque sinu Veneto pretiosa sede repostum,
nunc et in hoc presta Venetorum carmine vires.
Vocibus Imperii concordibus inclitus heros
assumpsit sceptrum Fredericus et Urbis et orbis,
cui tribuit rutili prenomina barba coloris.
Huic Adrianus, erat qui summus in Urbe sacerdos,
Imperii diadema dedit capitiq[ue] coronam
inposuit pedibus, magni piscantis in aula;
quem simulac sumpsit Fredericus primus honorem
grandia diversi peragebat partibus orbis
utpote magnifici cordis vir clarus et, alta
nobilitate virens, dignus diademate tanto,
huius in historiis vates si scribat Homerus,
non erit artis iners, operi sed debita nostro
expediam nostrisque canam referenda libellis.
Construxit quasdam, quasdam destruxit et urbes
funditus et turre[s] et menia maxima vertit
equavitque solo, quas inter celsior olim
urbs Mediolanum sua diruta pergama flevit,
flevit et extinctos crudeli Marte colonos
ipsa suos et damna fide graviora tulisse,
thesauros et flevit opes sibi milite raptas
theotonico, sed damna magis sunt fleta Magorum
munera qui Bethlem nato tibi, Christe, tulerunt:
aurum thus mirram regique Deoque viroque.
Baldesar et Gaspar cum Melchior haud decuisset
urbis in everse tantos mansisse ruinis.
Hos tunc Radulphus, quem celsa Colonia vidit
archiepiscopii proprii dicione potitum,
a Mediolano, commisse providus urbi,
transtulit et celebres celebri sub sede locavit,
non tamen ignaro Frederico principe facti.

Iste fuit sacre fautor defensor amator
sedis apostolice Fredericus, vixit ut ille
qui sibi Romani dederat prelustria regni.
Ast Adrianus ubi, moriens, discessit ab alma
sede Petri et mantum reliquo dimisit habendum,
sedit Alexander tertius qui sanguine tusco
claruit et claris descendit origine Senis
dogmatibus legis divine plenus et equi
dilector fideique pugil non territus, acer
defensor veri, constanter ad ardua tendens.
multa suis gessit memorari digna diebus
hic sacer antistes, hereses radicitus omnes
catholica virtute fugans, donabat honestos
muneribus largis, Simonis despector avari.
Isque pater sanctus convicit quatuor inter
cetera scismaticos fidei fulgore coruscans:
Octavianus enim primus Guidoque secundus,
tertius ac Laudo, quartus fuit ipse Iohannes.
Pestiferos omnes diversis urbibus ortos
hos pius ad sacre fidei perducere normam
papa putans magnis donis donavit et auxit:
tres etenim rubri donavit honore galeri,
nec fuit illius quartus sine munere, sed quid
contulit in gremio colubres fovisse ferentes
toxica pectoribus? papa fugere relicto,
mox et adhererunt Frederico: scisma veneni
spargentes totam rubicundi principis aulam
accusant culpantque patrem referuntque minacem
Imperio et, verbis odiosis, undique motus
irarum inveniunt inter duo sidera mundi
Italique urbes magnorum mole dolorum
oppressas turbasse patrem nimiumque gravare.
Et sic falsa levi miscebant plurima vero,

ne quicquam fictum fictos dixisse putaret.
 Ardet ut admoto leviter de sulphure teda
 illita, sic animus calidas declivis in iras
 principis ardescit minimis dirosque furores
 intus agit, sed causa odii fuit altera maior:
 quippe sacer pastor Frederico plura iubebat
 vel fieri vel non fieri, penalia subdens
 opportuna, quibus princeps parere negabat.
 Immo ferens graviter quicquam sibi patre iuberi
 prorsus Apostolico mandataque fortia vinctis
 interfusa minis, papalia iussa reiecit
 promptior in vetitum, nichil pia grammata pendens.
 Processit contra pater, hunc anathemate nodans
 rite, gravi Ecclesie gladio quoque trusit eundem.
 Hic anceps gladius bis acuta cuspide cedit,
 ex prima feriens animam corpusque secunda;
 sic gravis exemplo Simon ille veneficus olim
 per piscatoris iactus sub Tartara clavem.
 Ipse sed ulcisci cupiens Fredericus acerbum
 edictum statuit ne tellus ulla vel ullus
 sustineat papam princeps, sed deferat illum
 Imperio. Ut tali succederet ultio culpe
 addidit et penam: deleri aut morte piari.
 Urbibus italicis dedit hec ducibusque latinis
 causa metus tantos ut nemo sumere patrem
 sive sibi tentarit opem conferre, sed una
 forte suum tentans urbs Spoletana favorem
 pendere pontifici grave proh! tulit ipsa favoris
 munus ad exitium sub principe ducta minaci.
 sed nec Roma suis confisa est viribus, olim
 theutonica memorans quantum sit territa pugna:
 nempe coronari cum venerat ante, Neronis
 in prato posuit Fredericus castra vetusto.

Tunc lis orta fuit Romanos inter et ipsos
theutonicos peiusque tulit Germania primo.
At postquam virtus dispersa revenit in unum,
Romulidas longis invadunt ensibus Arcto
deducti proceres. Durissima pugna resurgit,
Ausonidis animos dant menia proxima terre,
Germanis tutela sui. Ceduntur utrinque,
at male Romanos levis armatura tuetur.
Sed nec turba minor crescentis prelia turbe
sustinet, ad reditum cursu coguntur anhelio:
non fugiunt qui tecta petunt sua, plurima cedes
urbis ad introitum Romane est edita gentis
ante quidem portam cui prebuit angelus olim
nomina, conciderat gladii Romanus in ore
plurimus et plures tunc sunt sine morte retenti.
Clauduntur porte, repetit tentoria miles
et fortes infrenat equos armisque coruscans
expectat si qui veniant ad prelia rursus.
At probus antistes proprios ex ordine cives
arguit et pacis pertractat federa grate
captivosque precum multa vix mole redemit.
Hec sub Adriani lis edita tempore patrem
movit Alexandrum male ridere viribus urbis,
inspectisque locis ubi tutus viveret, altum
Francorum regem fidenter cautus adivit.
Rex pius et fortis sacre per secula tutor
Ecclesie patrem regaliter usque receptans
sumpsit et ut papam voluit papalibus uti.
Omnis enim clerus patri parebat et omne
regnum ceu Rome papali sede potito.
Sensit ut illa ruber Fredericus, protinus ira
ferbuit et misit Letis et grammate regi
ut sibi vel papam reddat vel cardine regni

pellat et alterutrum si spreverit arma parentur.
 inclitus imperio rex neutrum velle remittens
 adicit ante suos atavos per secula reges
 Ecclesiam fovisse Dei totumque per orbem
 augmentasse fidem sacram, se nunc quoque iustum
 velle pati bellum pro religionis amore
 seque, Dei fisum, regnique potentis honorem
 et palmam tanti laturum credere belli
 ac pro se pugnare Deum fideique rebelles
 sternere et eternam Petri deducere sedem.
 Hec ubi percepit Fredericus, primus amicas
 undique concivit gentes ad bella, Bohemos
 evocat et Dacos Ghotos superque feroces
 Theutonie populos Francorum invadere regem.
 Francigeneque pio vires dedit Anglia regi,
 rex quoque pugnaces secum tulit ipse Britannos,
 Flandria belligeros a pectine misit in arma,
 nec longinqua dedit regi Burgundia robur
 et nondum titulo felix Vasconia sacre
 Sedis Apostolice vicinaque Gallia misit.
 At pius ut tantos belli consurgere fluctus
 sensit Alexander solam seseque furoris
 esse videt causam, varie tot milia gentis
 noluit in tante discrimina mittere cedis
 clamque sibi socio sumpto per cuncta fideli
 egreditur fidiue sinit munimina regni.
 More sacerdotis modici per Gallica tutus
 oppida descendens Italas pervenit in oras
 Lombardasque urbes silvestris imagine capri
 transiliens tutam Venetorum contigit urbem
 cenobioque Dei genitricis in ede receptus,
 clericus ut simplex, divinis usque vacabat
 obsequiis durum satagens transcurrere tempus.

Hic Augustini monachorum ex ordine sancti
conventus celesber vige et tunc usque vigeat.
utque capellanus residebat papa locello
sollicitus viteque gerens exempla beate.
Hanc pater ecclesiam postquam fuit agnitus ipse
rite suis manibus venia testante dicavit
marmor ut ecclesie residens in fronte fatetur.
Tunc dedit egloceros annales mille ducentos,
Christe, tibi, tribus et viginti exinde remotis.
Venerat interea Venetam peregrinus ad urbem
ex voto nutuque Dei, qui noverat ipsum
pontificem viditque patrem sua sacra gerentem
officia et viso quid agat deliberat ipso.
Moxque ducem peregrinus adit, narrat quoque
summum
se vidisse patrem verum et se noscere papam.
Tunc Venete dux urbis erat Sebas-que-tianus
inclitus, egregia genitus de prole Ziani.
Hic per multa sciens papam residere vetusto
argumenta loco, mox consiliare vocavit
concilium tractantque geri quid convenit et quid
expediat. Cetus fuit hec sententia docti:
“Omnia que sancto expediunt insignia patri
“Ocius efficiunt clamidem mitramque pedumque
“ornamenta, quibus pater insignitur in alta
“sede Petri”. Et posthac venit patriarcha Gradensis,
cui Castellanus sociatur episcopus, omnis
clerus item, veniunt meliores urbis et inde
procedunt, iubilant, crucis et vexilla levantes
pontifici properant duce se prebente secundum.
Ergo ubi pontificem pervenit ad usque verendum
duxque comesque vie clerus Veneteque senatus
urbis et ulterius gentis pars multa minoris

ostensusque pater fuit et bene cognitus, ante
 sese dux, genibus flexis, prostravit et almi
 dat de more patris pedibus dux oscula dicens:
 “salve, papa sacer, pater et sanctissime, salve;
 “pone metus; non tu fragili concluderis urbe
 “sed Venetis tutisque locis; depone pusillos,
 “indue papales habitus animosque resume;
 “ecce tuus clerus, en gens devota parentis
 “Ecclesie, iam nunc tibi non dubitare necesse est;
 “non decet hoc humili te iam residere locello:
 “papa, decus mundi Christique vicarie, nostris,
 “immo tuis, potius succede penatibus, hospes
 “non eris, at propriis veluti potiere theatri”.
 Papa notans se iam cognosci et verba ducalis
 maiestatis, ait: “fili carissime, surge
 “et bene te venisse libet; vos, turba fidelis,
 “dextra Dei patris benedicat servet agatque”.
 Nec mora; iam rudibus proiectis vestibis illas
 induitur quas dextra ducis sibi prebuit, exin
 progreditur textis in pontificalibus. Omnes
 ordine procedunt: primates classe, minores
 terrestri venere gradu, Marcique verendam
 ecclesiam repetunt iubilantes cantibus almis.
 Ast ubi vestibulum templi subiere verendi
 papaque duxque potens, sumpsit sibi tortile lumen
 providus antistes quod candida cera liquavit
 idque duci tribuit tunc dicens: “optime fili,
 “accipe et hac tali quotiens processio fiet
 utere materia, cere candore notamus
 “candorem fideique tue fideique tuorum,
 “quam geris Ecclesie signumque perennis honoris”.
 Hinc est quod ducibus, quotiens proceditur, albus
 cereus ob memorem prefertur in agmine causam.

Inde pater scandens super alta palatia sanctus
qua sunt marmoreo Marci contermina tempio,
exsultat Veneta cum nobilitate recumbens.
Quis numerare queat memorande gaudia lucis
qua pater assumptus Venetis magnatibus et qua
se videt egressum Frederici ex ungue rubentis?
Alterne cumulos michi vix conscribere fas est
letitie, dignis causis letantur utrinque.
Interea celsi pater una parte palaci
sistitur et pro se comites dignosque clientes
accipit ut propria Laterani sede maneret.
Cogitat interea Venetorum industria patrum
Imperio sedare patrem tunc dulcia scribens
grammata. Legatos dux pacis honore petende
solemnnes iussit Fredericum accedere primum.
Hec ut Alexander prudens pia grammata vidit,
prebuit assensum Venetorum nutibus et mox
iussit ut ex plumbo fundatur bulla superque
effigiem geminam sancti Marcique ducisque
una superficies habeat, ducis altera nomen
atque irenus referat, sic et sua grammata signet
canabis incusso corde dux verbere plumbo
pendenti, semper papalis imagine bulle.
Ecce characteribus signatur epistula plumbi
missa Frederico, quam summi gratia patris
sic signare duci concessit et omne per evum
signandas sic esse notas clementia iussit;
hoc auctore duces bulle potiuntur honore
plumbifere signantque datis epigrammata formis.
Moxque ducis Veneti legatio clara, volanti
navigio, Adriacum mare navigat. Ille secutus
patris Alexandri rubeus vestigia princeps
Apulie planis iam nunc residebat in arvis.

Ut legatorum ducis attigit ancora portus,
 imperialis ubi residebat curia, rumor
 ille Frederici subito pervenit ad aures;
 letatur letosque ciet, quos ordine cunctos
 sumpsit honorifico gratosque vocavit amicos.
 Hi genibus flexis, Romano principe coram,
 exposuere ducis iocunde verba salutis
 parte sui, post hac sibi scripta ducalia tradunt.
 Ipse salutifere gratanter verba loquele
 acceptat scriptumque legit. Dum denique ventum est
 ad loca que pacis tentabant federa, torvo
 illa legit vultu, cordis quoque signa dolentis
 exprimit et Venetis manifesta voce profatur:
 “Ite, duci vestro nostrum reddatis amorem
 “ac pro parte salus nostra sibi reddita detur
 “et licet hec nostre referat sibi pagina carte
 “latius et nostram mentem per scripta videbit,
 “ore tamen nichilominus hec referatis amico
 “verba duci vestro: nostrum non amplius hostem
 “substineat, mittat, fidis custodibus, illum
 “perque modum talem nostros augebit amores
 “inque suis fiet sibi gratia nostra gerendis
 “pronior Imperii que sibi trahet usque cacumen.
 “At si forte neget fugitivum tradere papam,
 “expulsum toto velit hunc defendere mundo
 “illius et sic se fugitivi cladibus hostis
 “misceat et nostros tentet relevare rebelles,
 “credat amicitie dissolvi federa nostre
 “norit et Imperio se contradicere sancto
 “isque rebellis erit pariter. Paret arma virosque
 “securum se dux faciens quod in equora classes
 “iniciam, cum tempus erit, tantisque galeis
 “propulsabo fretum, Venetos quod remige portus

“ingrediar, Marci sancti figamque plateis
“victrices aquilas non ante in secula fixas;
“procedam validaque manu papamque ducemque
“captivabo meis arctans utrumque catenis.
“Nec sibi profuerit mediis sua tecta procellis
“imposuisse: freto veniam, si terra negatur.
“Forsitan Imperio poterunt obsistere? regem
“Francorum nostras vires timuisse coegi
“qui retinere meum formidans repulit hostem”.
Dixerat. At tristes legati mentis amare
celantes habitum simulabant gaudia vultu
spondebantque duci quecumque referre iubebat
inque quibus verbis suffecit promere lingua.
Imperio fecere vale ratibusque paratis
vix maris aspiciunt fluctus flatusque Magistri,
ascendere ratem legati velaque remis
adiciunt celeresque vias fecere per equor.
Nona dies pelagus vexit moderantibus Austris
orta ratem qua sunt Nicolai templa beati
litore frugifero fessis gratissima nautis.
Nec mora, proveniunt qua prepetis ora leonis
irrequieta vident fluitare per equora puppes,
cernitur unde procul celsa leo luce columna
percusso radians radiis solaribus auro.
Obvia prodierat plebs nobiliumque carinis
turba revertentum rumores discere vectos.
Tunc reduces missi populo super alta feruntur
atria, papali thalamo Venetoque potiti
culmine pontificis tribuerunt oscula plante,
inde Frederici fulgentia grammata bulla
legati prompsere probi stimmamque dederunt
pontifici Venetoque duci, spectanda priusque
narravere duci Frederici iussa minacis,

verborum tandem seriem logotheta ducatus
 sumpsit et exposuit quid epistula, parte priori,
 narret, amicitie veteres ut firmet amores,
 utve petat medio vinciri compede summum
 pontificem trudique patrem sub carcere mandet
 ac in fine minas si non ea gesserit addat
 carta duci gravibus concludens grammata verbis.
 His pater auditis expavit, nullius unquam
 sunt audita rei sibi verba molestius ex quo
 Ecclesie suscepit onus vitale gerende
 inmensosque metus vultus pallore notavit.
 Ut provisa ducis sensit discretio tanto
 corda patris trepidare metu frontisque tenore
 signa notat magne formidinis, ingemit et sic
 orsus ait flexo, velut est mos, poplite patri:
 “Sancte pater, depone metum vanosque minarum
 “Imperii strepitus ne cures, fidito nobis,
 “nam nec nostra fides blando sermone movetur
 “nec duro quatitur, stabili sed singula nutu
 “disponens, iusta preponderat omnia lance.
 “Tu deus in terris Christique vicarius, in te
 “firma basis fidei, totus tibi credere mundus
 “debet et Ecclesie collum submittere matri.
 “Nos igitur quos vera fides regit et quibus est mens
 “hanc augere, sacre sedis defendere causas
 “tam volumus quam posse datur. Iubet arma parari
 “si te non dabimus manicis et compede nexum:
 “arma parata quidem pugne sunt semper apud nos
 “navigiumque recens et pugnax turba virorum.
 “Sique ruber nobis Fredericus bella movebit,
 “non nos inveniet clausos sed in equore lato
 “obvius ibo sibi, Venetis comitantibus armis”.
 Sanctus ad ista pater, posito rancore pavoris,

reddidit innumeras spendenti talia grates
seque repensurum Domini de munere munus
spondet et augmentis Venetorum intendere semper.
Sensit ut Ecclesie devotio quanta ducalis
quanta sit et pape, Fredericus protinus arma
evocat ac septem decies et quinque galeas
precipit armari Germanis Apula miscens
agmina, diverse ritu distantia lingue.
Et iam tempus erat quo Phrisis vector et Helles
sole recalfieri sperabat et equore Triton
placatis currebat equis ventosque minaces
clauserat et placidis permiserat equora ventis,
Eolus et Zephirus florentia rura tepebant,
quando mari classes princeps Romanus in alto
exposuit fartas variis idiomate turmis
prefecitque suum natum Fredericus Othonem
classibus et gentem numerosam ducere iussit.
Nec minus et Venete gentis dux inclitus armis
intendit, sed non numero concurrere tanto
ipse galearum voluit: triginta paratas
flore iuventutis Venete iubet esse galeas.
Non illis pretio ductus, non barbarus ullus
intrat, sed Veneta quivis oriundus ab urbe.
Non opus bis fuerat mandato: sponte subibat
quilibet in belli pronus discrimina iusti.
Papa quoque in cunctis conspectus cuique profecto
indulsit venias pene culpeque reatus.
At caput et princeps Venete fuit ipse caterve
strenuus et bellis patrie dux gloria terre.
Non magis ad spensi properant convivia leti
cognati iuvenes cognatorumque puelle
quam Veneti properant ad iuste prelia cause.
Interea fera mens Frederici nescia longas

ferre moras belli portu consistere classes
iussit et interno concentu quemque tubarum
presto fore et celeri motu celerique quietum
remigio pulsare fretum. tamen ante maniplos
alloquitur iustamque suam facit undique causam
pontificis reprobans crudelia facta, profanos
excessus, contra quos maiestatis honores
gesserat Imperii, libram rationis omittens.
Ad genitum post hac sermonem vertit et inquit:
“Et tu, nate, graves offensas excipe nostras,
“immo tuas, gladioque scelus dissolve pudendum:
“de Venetis vindicta quidem facienda, rebelles
“qui refovent nostros et se fecere nocentes.
“Ite igitur, vos qui mecum vicistis, et istos
“vincite, de Venetis facilis Victoria restat”.
Dixerat, et patris dictis respondit ephebus:
“facta, puta, genitor, fieri que precipis, in me
“commissum est. quicquid tibi displicet, iste parabit
“vindictam gladius”. capulo manus heserat ensis.
Tunc avide pugne gentes avideque rapine
vociferant dextrasque levant ad bella paratas.
Collaudat natumque pater collaudat et ipsos
quos ad bella videt promptos et pergere mandat.
Protinus ingressi solvunt a litore puppes;
imperiale preit vexillum, classica terrent
equora, letantum clamoribus intonat ether.
Fama volans moti Venetos advenit Othonis
de magnis maiora loquens. Nec territus est dux,
nec Veneti procures, immo fervore calentes
Ecclesie sanctique patris memoresque priorum
virtutis celeri sumpserunt arma paratu
convenitque suo properantibus undique turbis
massa duci, Marci qua sunt pulcherrima sancti

nunc fora, fulgebant auratis eminus armis
atria, que gemino surgunt circumsita campo,
papaque duxque sacri stantes in limine templi
in populo manuum fecere silentia signo.
Tunc pater armatas auro fulgente cohortes
alloquitur: “nati” que refert, “o semper amandi
“libertate animi, toto qui ex orbe fugatum
“me suscepistis, me restituistis honori,
“Ecclesie matris nunc bella subire paratis
“proque sacra pugnare fide pugnare potenter,
“vadite securi: Dominus vos diriget inque
“barbaricas gentes dabitur victoria vobis.
“ipse Deus pro se iam nunc pugnabit, ut olim
“unus mille viros, duo milia dena fugabant,
“nec poterant fidis infidi obsistere bello
“sed numerosa brevi cedebant agmina turbe.
“ille Deus nunc est, eadem nunc causa, sed idem
“cur non finis erit? dubio sine finis et idem.
“Adde quod ignari belli navalis habentur
“Theutonici minimoque freti terrore pavescent.
“Apula sed merces gens plus quam prelia tractant
“cultibus intenti telluris et equore segnes.
“nec se prorsus amant Germanus et Apulus. Alter
“alterius nescit linguam, vos unio iungit
“et fraternus amor, sunt equora cognita vobis
“formidata parum, navalia bella per usum
“scitis in externis victores undique regnis.
“vix opus est verbo vobis nutuque videtis
“alterius mentem: bona vos, illos mala tangunt”.
Egregioque duci post se convertit et ense ipse manu
sacra nudum retinebat acutum.
Dixit: “et hunc, fili, Venete dux inclite gentis,
“accipe, iustitie tibi ius damus, ecce, gerende:

“hoc dissolve nefas scelerataque facta recidas,
“hoc sontem ferias, insontis iura tuere”.

Dux, caput inclinans patri, suscepit et ensem,
ornavit, tenuit canini ducibusque futuris
servavit, per totque duces pervenit ad istum
Dandulea de stirpe ducem qui sceptrā potenter
dirigit et iusti cultor et amator honesti.

Vive, precor, Francisce, diu patriamque quietam
tranquillamque regas, sub te duce floreat urbs hec
et duret felix cuncto velut utilis orbi.

Hec ait. Inde duci primo populoque secundo
signa crucis sancte benedicens undique fecit.

Mox claxere tube quas nondum argentea fudit
materies, lituique sono strepuere loquaci
plurima cum rauco stridebat tibia cornu,
nachare resonant sinuosaque cymbala clamant,
terribilis motus simulat symphonia belli,
omnia tam variis tinnitibus ethere mixtis
instrumenta Iovis tonitrus simulare videntur.

Processere, mari sociat populumque ducemque
papa potens verboque omnes benedicit et illis
omne scelus citra baptismum papa remittit.
Conscendere rates. Marci vexilla beati
precedunt tantumque caput sua membra secuntur.

Classis ut Hadriacas Veneti ducis exit in undas,
qua mare per pharos, angusta fauce, profundum
intrat et in latas distenditur inde lacunas,
puppis ab Histriacis veniebat nuntia terris
que festina duci properantes nuntiat hostes:
iamque Polam transisse refert, transisse Rubignum
atque, gradu celeri, scopulos superasse Parenti
et iam Salboie penetrasse per invia linguam
equora nec Caprolis longe distare vadosis.

Hec ubi dux sensit primates protinus omnes
convocat armate classis quibus omnia narrat
missa sibi et subito quid agi consultat oportet.
consilium dant quisque suum iuvenesque senesque
e quibus in summa sic esse necesse redactum est
“arma viri capiant, navalibus omnia bellis
“opportuna parent, Cererem Bacchumque parumper
“assumant, nec bella gerant nisi sole cadente,
“ut tergo Venetos, oculis sol verberet hostes.
“Queque iaci debent ut spicula saxa sagitte
“et tormenta suos ad iactus prompta parentur.
“Nec desint latis qui scindant vela sagittis
“quique focum iaciant medicatum sulphure vivo.
“et vive pariter iacentes vascula calcis.
“Sint etiam liquidi qui librent vasa saponis
“quique graves curva precipitant falce rudentes
“ut super hostiles discurrant vela catervas.
“Si locus insidiis esset, ponatur ab undis
“nostraque classis eat, nec se tellure coarctet
“sitque aries malo ferrata cuspide vinctus
“incutiatque rates hostiles. hique parentur
“qui terebrare sciunt puppes et stare sub undis.
“Optimus at modus est, per quem superabitur hostis,
“ut cum noster erit vicinus, protinus hostem
“aggrediamur, in hunc violento Marte ruamus:
“classica tunc reboent trepidas terrentia mentes,
“ingenti strepitu cuncti tendamus in illam,
“que gerit Imperii signum prenobile, puppem.
“hanc impugnemus, hanc dirumpamus, ut ipsas
“stementes aquilas Romanaque signa ruentes
“precipitemus eos. “ego primus”, dux ait, “ibo
“experiarque michi commissum celitus ensem.
“has ubi straverimus, labor exiguiissimus inde

“restabit per se; tunc conculcabitur hostis.
 “tunc leviter reliquas sternemus si qua resistet
 “puppis et hanc forti superemus milite pugnam”.
 Consensere omnes et cetu quisque soluto
 ad proprias redeunt puppes et corda suorum
 ad provisa parant, firmant animosque feroces
 ad virtutis opus et gliscere bella coaptant.
 Namque, levi Zephyro Venetas pellente carinas,
 et sese reficit et bellica preparat arma
 quilibet ad subiti gradiens discrimina belli.
 Parte sed adversa venientes equora remis
 exsuperant nec bella sibi tam proxima credunt.
 iamque diem medium Phebus transcurrerat, hostes
 ut videre procul Veneti visique fuerunt.
 Tunc Otho, magnanimus iuvenis redolensque paterna
 strenuitate, sue maiores undique classis
 convocat heroas, quos est affatus et inquit:
 “Cernite, nobilitas, quam sit temeraria virtus
 “ista ducis Veneti, modica qui classe suorum
 “obvius ad pugnam, qui simus nescius, exit.
 “forsitan ad Grecos iam se pugnare putabit,
 “quos solet innumeros minima prosternere gente.
 “Ignorat vires nostras, qui cedere duris
 “nescimus, reliquas gentes qui more leonum
 “vincimus et non est nobis durabilis hostis
 “Non opus est verbis, sed facto, quisque paretur,
 “exigit ut bello navali pugna parari.
 “Possumus hos nostris includere nempe galeis
 “et superare brevi momento, cernite paucos.
 “ite, viri fortes; gladiis exsolve pugnam,
 “exigite ut noster genitor vos laudet et illum
 “letificet vestra Victoria reddita pugna”.
 Collaudant iuvenem cuncti redeuntque parantque

bella viri et celeri deducunt remige classes.
Ergo ubi vicinas iam se videre galee
et poterant iaculis iam se contingere missis,
classica que tonitrus superant, hinc inde per omnes
insonuere rates. mox primam spicula pugnam
committunt mittitque truces ballista sagittas
more nivis dense, sed puppis prora ducalis
ocius it rostroque ratem concussit Othonis
sic alie properant et concludere galeam
moxque catenatur ferrisque tenetur aduncis
undique, qua summi steterant insignia pili,
celsa ratis, quam clarus Otho comitesque regebant.
tunc Veneti calcem iaciunt et spicula mixtim,
hostibus obfuscant oculos et vulnera figunt.
At se Germani, quantumvis capta valebat,
defendunt iaculis. tandem dux primus Othonis
insiliens puppi donato fulminat ense
hos hac hos illac sternens, nec substinet ictus
bractea thoracis, nec texta subucula ferro,
nobilitas Venetum, quorum sine nomine prolis
nullus erat, puppi simul insiliere ligate
non veriti longis Germanos comminus armis.
Hos equidem subeunt cedunt superantque necantque
inque brevi morula puppis tutore relicta est.
Solus Otho viete restabat parte galee
defendens vitam gladio, quem regius ortum
esse docebat lionos regali sanguine, tunc dux
ut plus ad iuvenem sic, blanda voce, profatur:
“O iuvenis, miserere tui, miserere parentis,
“te quoque conserva vite mortemque releges,
“arma procul iacito, nobis te redde: manebi
“nos pene illesus. socios in cede iacentes
“aspice teque velis diurne reddere vite”.

Audit ut Otho virum, gemmis auroque notavit
esse ducem, gladium posuit, se reddit et, armi
exutus, caute servandus traditur hostis.
Mox, aquilis stratis et victa puppe, recedunt
perque alios hostes gradiuntur fulminis instar,
quaque sacri Marci veniebant signa repente
hostes aspectu solo vincuntur, ut ipse
pugnaret: certe pugnabat numine Marcus.
Hosque sui capitis privatos robore tantum
terrui ipse dolor ne pugne tela moverent
nec fugerent. labor unus erat concidere victos
alterius partis. prebebat robora princeps
ipse suis tingens hostili sanguine ferrum
quosque ferit sternens. ut stans halietus in alto
aere suppositas descendens percutit unam
et reliquas perterret aves, sic inclitus ille
dux Venetum peragrans inimicas undique puppes
omnes terret, at hanc quam contigit ipse carinam
disicit et validis exterminat ictibus illam.
More sui Venetum ducis omnis turba per hostes
irruit et tinctis cedit mucronibus illos.
Quid moror? Imperii paucis exercitus horis
obruitur pauceque fugam tenuere galee.
At pia cura ducis Veneti legit undique cesos
immissosque neci tumulandos misit arenis
captivosque leves iussit deducere classes
compedibus vinctos et nudis pene lacertis.
Preterit illa dies et clara nocte labori
non cedunt revocantque suas tunc signa galeas
hostilesque iubent paucis precedere remis.
Excubie vigilant, puppes captasque suasque
observant noctu. reliqui sumpsere quietem.
Alta ducis probitas, vinctis Othone solutis,

hunc miserata dedit propria residere galea
primates inter Venetos custode propinquo.
Et iam tempus erat Phebum quo mitis hirundo
nuntiat ad celeres cursus aptare quadrigas,
cum reditus castris portendit buccina signum.
Incessu remeant docto. quis credere possit
triginta bis tot captivas ducere puppes
Imperii? reliquas consumpserat unda vel ignis
vel fuga servarat, summum quod pandit aperte
pro Venetis pugnasse Deum typicumque leonem.
Non ingrata fuit Venetorum muneris huius
immo pio gens ista Deo pro munere grates
innumeras tribuunt tanti quoque digna patroni
munera promittunt tempio, que postmodo leti
solverunt, sua dona sue solvere marite.
Iamque propinquabant Nicolai litus ad amplum,
quando procul Veneti proprias remeare galeas
excelsis videre locis et nare per altum
aera vexillum Marci noverere beati,
unde tamen tot tot contundant equora classes
mirantur, donec hostes didicere subactos.
Tunc omnis Venetus venientibus obviis ivit,
tam mulier quam vir, terra pelagoque galeis.
Una dies ierat, tamen hi velut annus abisset
viserunt sese gaudenti fronte propinqui.
omnibus applaudunt, domino reverentia maior
adicitur quam si vel sanctior unus adesset.
Ergo ubi telluri iam descendere, verendus
obviis itque pater sacrasque recepit in ulnas
ipse ducem, referens: “salsi bene veneris ipse
“rite maris dominus”. cui traditur annulus auri
pontifice a summo, quo dux mare sponset habendum,
ut vir habet sponsam. tunc primum dux mare iacto

sponsavit tereti magnis in fluctibus auro
 idque duces reliqui fecerunt omnibus annis.
 nam mare sic sponsant, Dominus qua scandit ad altos
 luce polos. eadem lux est qua tradita grandis
 ecclesie Marci fuit indulgentia summi
 munere pontificis, nam si quem penitet et sit
 confessus vere, Marci quoque limina sancti
 visitet, hic pena culpaque resolvitur omni.
 Ergo ubi sponsavit mare dux, exercitus omnis
 ad proprias rediere domos. captiva locatur
 carceribus variis gens ut custodia poscit.
 Duxque patri sancto magni dans munus honoris
 captivum, Frederice, tuum concessit Othonem.
 ille, velut decuit, conclavi clauditur apto,
 non sine custodum tamen aut consorte clientum.
 His ita compositis sunt gaudia magna per urbem,
 undique divini iuvat hos Victoria doni.
 Rumor ut adversus Frederici coniudit aures
 bellorum, sua gens captiva occisaque fertur
 et captivus Otho, proprii pars optima cordis,
 non lacrimis oculos, non pugnīs pectora vexat,
 ast animo forti simulavit gaudia vultu
 hortatusque suos fieri solatia mandat
 et cordis leta celari fronte dolorem,
 multa minans hostique necem Venetisque ruinam.

Incipit secundus de pace et victoria facta per Venetos
 inter Ecclesiam et Imperium.

Iamque dies ierant quidam cum Spiritus almus,
 qui, spirans, ubi vult sua munera dividit inter
 optima terricolās, in cor descendit Othonis
 inspirans pietatis opus papamque patremque
 reddere pacificos et amicos nectere caros.

Colloquium patris atque ducis petit hique benigne
acceptant. venit ecce levi sub compede vinctus
mitis Otho tantisque viris hec verba profatur:
“Dum reputo mecum qualis Victoria vobis
“contigit et quanta fuerim virtute subactus
“utque meam vidi stratam per vulnera gentem,
“vix Venetis levis, humanum non reor esse
“istud opus: Deus, immo Deus, nos ipse profecto
“stravit et ex equo, te contra iusque piumque
“en genitor meus impugnat sanctamque molestat
“Ecclesiam, venerande pater, nimis invius errans.
“Hunc Deus errorem punit, numerosa ruine
“agmina dum forti dextra dedit agmine parvo.
“Ipse ego qui patri sum filius unicus, arctor
“captivus vivoque tuo, dux, munere salvus:
“namque tuo leviter poteram succumbere Marti,
“cum michi servasti vitam quam nunc quoque servas,
“gratius ac merear. Si me permittitis, ibo
“atque patri referam belli vestrique tenorem
“vobiscumque velit pacem tolerare rogabo.
“utque puto peragam cupiende federa pacis
“tecum, sancte pater, tecum, clarissime princeps.
“Quod si forte michi genitor non prebeat, acer,
“assensum pacemque neget, captiva redibo
“tempora laturus. de me tunc vestra voluntas
“se satiet; vitam malit vel tradere mortem
“vel si quid medium est; sicut placet omnia fiant,
“perque meam sic firmo fidem, sic firmo per illud
“militie specimen quo fulvo muniore auro”.
Hec adulescentis tam verba salubria pape
atque duci fecere fidem fisique dederunt
remigium iuveni quo patrem fultus adivit.
nec mora longa maris. patrem probus Otho dolentem

repperit et gravibus bellorum insistere curis.
 Hunc pater ut vidit, sedato nubila cordi
 expulit et claro signavit gaudia vultu.
 Ut cum multa dies tenebrosis aera nimbis
 clausierit et Phebum denso Notus expulit imbre,
 si nebulas veniens Aquiloni as incutit horror
 extersi tque polum, tunc Phebus purior exit
 exhilaratque diem; Frederici sic prius atram
 letificat nati felix speculatio mentem.
 Accipit amplexu natum, vix gaudia verbis
 dant aditum, tandem: "fili, bene veneris" inquit
 "sintque Deo pro te salvo laus gloria grates
 "proque tuo reditu". flexa cervice parenti
 grata vovet genitus, tunc patrem poscit ut eius
 consilium veniat. quos sic affatur ephebus:
 "Non, ut rere, pater, dimissus carcere veni
 "nec fugiens; pepigi sancto patrique ducique
 "sponte reversurum, michi ni tu digna roganti
 "prestiteris. Oroceres, quid poscam advertite, magni.
 "Non ego nota loquar: bello que damna maligno
 "pertulimus quantoque fuit gens nostra vigore
 "strata ducis Veneti valuti vel credere dignum est,
 "plus virtute Dei. Veniam, pater inclite, dones:
 "in papam non iusta geris fera bella tot annis,
 "improba causa tua est, bello censore probamus.
 "Concidimus pauco sub bellatore, pudendum est
 "quanta fuit nostre narrari copia gentis.
 "Et nisi, mi genitor, resipiscas, teque tuosque
 "deteriora manent. nunc, o pater, effuge summi
 "flagra Dei: cesses papam infestare sacramque
 "Ecclesiam summoque stude concedere pacem
 "pontifici Venetumque ducem cupias in amicum
 "sumere: provenient ex bis tibi fama decusque".

Tunc genitor nato: “mi fili” reddidit “huius
“regibus et mundi mos est primatibus acri
“vincere nunc bello, nunc et succumbere: nobis
“si fortuna fuit nunc aspera, postmodo fiet
“prospera, centenas ter vel quater ire galeas
“instructasque viris pelago faciemus et armis.
“Nos quoque cum totis veniemus viribus ultra
“Dalmaticos montes, Venetas populabimur oras,
“urbem ipsam ingressi per vim superabimus, ipsi
“cultores vel morte dabunt vel carcere penas
“hosque duos quos ipse petis nostraque precaris
“pace frui, penitus scelerum mercede luemus.
“ambigimus nos lesit uter violentius, ambos
“pena decet, sed, quam nondum decrevimus, equa”.
Rursus Otho loquitur: “non bellum incendere veni
“sed pacem tractare, pater, nil gratius illa
“mundus habet. Dominus testans heredibus inquit:
“pacem dono meam vobis pacemque relinquo,
“thesaurum veluti quo non pretiosior alter.
“hanc peto, care pater, tradas papeque ducique
“ut meritis peneque reis nullius habende.
“Quod si forte neges pacis michi tradere munus,
“ad dominos tantosque viros iam sponte revertar
“et vitam tristem captivaque tempora ducam”.
Ut pater audivit tam fortia verba loquentem
et novit natum non delirare, cohesit
talibus in nati verbis, quid proferat anceps.
Marcinicus veluti, molli qui lapsus in equor
flumine, dum sentit dominantis tempore lune
augeri pontum, nequit obvius ire marinis
fluctibus, immo retro violato gurgite cedit
et variat cursum, sic mens genitoris, ad alta
verba sui nati retrusa, revertitur equo

et posito mentis Fredericus turbine fatur:
 “O michi care prius fili, nunc carior, audi:
 “gaudeo quod tanto virtutis ductus amore
 “me superas mentemque meam secedere cogis
 “nequitie iustique facis me credere libre.
 “ecce tibi pacis permitto federa, vade.
 “Nam quecumque placent peragam, tibi nulla negabo,
 “omnia concedam que iure gerenda putaris
 “pacis ad augmentum solidi quoque robur amoris”.
 Ille Deo laudes solvit patrique rependit
 multifidas grates pro munere pacis adepti.
 Ergo ubi formande concessa licentia pacis
 plena fuit iuveni, letatur curia magna
 letitia festusque dies celebratur ab omni.
 Moxque beatus Otho puppes patrique sibique
 ad Venetos portus reparari mandat ituras,
 quodque pater veniat ducibus comitantibus ipsum
 hortatur pacemque pape Venetisque daturus.
 Utque placet mox fit. Fredericus classe parata
 navigat Imperii fastigia clara reportans.
 Sed precedit Otho, non his quas vexerat ante
 vestibus, at gemmis, ostro presignis et auro
 inque habitu quem ferre decet tam sanguine clarum.
 Dum ceptum peragebat iter pelagusque secabat
 regia classis, Otho celeri currente carina
 secessit liquitque patrem cursuque peracto
 in Venetum subito pervenit remige portum.
 quem simul ac videre duo sanctus pater et dux
 hunc habitu vultuque hilari novere ferentem
 federa vivifice pacis post oscula patris
 lata pedi, iuvenem recipit dux clarus amico
 amplexu iuvenisque sibi data federa narrat
 pacis ab Imperio patremque venire per equor

haud procul, ut firmet pacem fedusque sigillet.
Ascensum Domini celebrem lux illa preibat,
cum tetigit portum fuit et susceptus honeste
clarus Otho Venetis: misit lux altera patrem
visendum. dux ipse prior Venetusque senatus
occurrere sibi freto diademate sacri
Imperii; dux ipse suum sibi reddit honorem.
Imperio flexere genu gens altera sancto,
inde sed ascendunt, Marci petiere nitentem
ecclesiam, sed papa sacer sublime sedebat
vestibulo templi pastoris imagine summi.
Intranti templum Frederico et flexa tenenti
colla patri, pater hunc tangens pede protulit illud
daviticum: “perges super aspida seu basiliscum
“et conculcabis”, superaddidit ipse, “leonem
“carminis ut series contextitur atque draconem”.
“Non tibi, sed Petro” Fredericus reddidit. “Immo”
“tam michi quam Petro” sanctus pater ipse resumpsit.
Illic firmatur pax et concordia felix
partibus a geminis non infringenda per evum.
Ipse pater sacre celebrans solemnia misse
indixit veniam pene culpeque professis
crimina, qui sancti venient ad limina Marci:
Ascensus Domini primo de vespere totam
per lucem vesperque duret ad usque secundum,
quique per Octavam sollemnis lucis adesset
ecclesie celebri, pars septima sola trahatur
huic scelerum parili pene culpeque tenore.
Et tunc Romanus presul princepsque perennes
sanxerunt, quos dux Venetus retinebat, honores.
Inde pater populo grato sermone locutus
hos laudat memorans quecumque recepit ab illis
obsequia et fidei pugiles et matris amicos

Ecclesie propriosque vocat cognomine natos.
 inde refert grates meritas, de munere spondet
 Ecclesie dotare ducem Venetosque fovere
 semper, et hec Latiis mandabat scribere libris.
 postmodo leta dies semper memoranda per urbem
 ducitur, hac Venetis reserata est ianua celi,
 “hac quoque pace data terrarum totus et orbis
 exsultavit, ubi Christi nomenque fidesque
 noscitur et totus concors fuit undique mundus.
 Reddidit hec Venetos synodi presentia letos
 anno milleno centeno septuageno.
 Cessit Alexander venias tunc papa beati
 ecclesie Marci, tertius ille fuit:
 si quis in Ascensu Domini convenerit illuc
 confessus vere cordeque perpenitens
 vesper utrumque lavat totum, quod inter utrumque
 tempus etiam culpa penaque nulla manet.
 Additur: et rursus Octave tempore toto
 septima peccati pars relevatur ei.
 Verba auctoris cum exclamatione.
 O utinam pax hec ad tempora nostra rediret
 ut foret Imperium nostro sub tempore matri
 Ecclesie iunctum nomen partisque sileret
 et velut una fides nobis foret una voluntas.
 Totius hic igitur multos duo sidera mundi
 festivos duxere dies, ivere per urbem,
 mirantes urbisque situm gentisque decorem,
 aurea sanctorum et fulgentia tecta virorum
 atque super magno numerosa theatra canali
 que deceant reges vel marmore compta vel auro
 et percurrentes centum sexteria rivos,
 omnia qui tectis ad vite commoda portant.
 Ex universo mirantur et agmina mundo

ad Venetos congesta sinus, mirantur et unde
tante sint Cereris vel tanti dona Lyei.
Ergo ubi pax acta est et amor coniunxit in unum
hos dominos quorum fuerat diversa voluntas
in sedem remeare suam pater almus ad urbem
destinat inque suos Fredericus pergere calles
quando patrem sanctum sacre sociaverit urbi.
pro reditu denas munit dux ipse galeas
seque patri comitem Venetis cum grandibus addit.
Ut iam prompta fuit tantorum turba virorum,
orbis utrumque iubar sanctus pater im-que-perator
Romanus proceresque sui comitesque ducesque
grandis Alemanie cleri laicique nitoris
duxque potens Venetum cum nobilitate suorum
et presens urbs omnis erat, scandere carinas
purpureis textis tectas stratasque tapetis,
classica mille sonant, exercitus esse videtur:
tot ratium series remis a litore cedunt
et mox ponticole Boree dant vela secundo,
Anchonitana petunt directo litora cursu.
Precedunt claves, aquile Marcusque secuntur.
Dum fluit Illyricum multa cum classe per equor
utraque maiestas mundi, volat undique velox
fama nove pacis, reges Christumque colentes
letificat populos, at falsi regna Machonis
territat hec quibus est Sancte custodia Terre
eredita precipue, quorum possessio nobis
dedecus est, sola qui lesum voce fatemur,
ast opere abnuimus. Proh! quanta iniuria, quantus
debeat esse dolor nobis heredibus inde,
quando canum manibus patrimonia nostra tenentur
ut Christi natalis humus Christique sepulcrum,
quaque suis pedibus lustravit ut incola terre.

Heu michi cur secum tam frustratoria nostri
 bella gerunt reges tam iustaque bella relinquunt?
 Forsan sponte Dei sic est vel nostra merentur
 crimina ne patris bona possideamus et alter
 carpat que nobis debent, extraneus heres.
 quo se cumque modo vertat res, te, pie Iesu,
 ante meos obitus, oro, da posse redemptam
 tu michi Ierusalem vel sic da cernere saltem.
 “Tamque propinquabant terris duo maxima mundi
 lumina qua celso de colle recluditur Anchon
 depositisque solum tetigerunt remige velis.
 Anchonitanorum venit gens prescia tantis
 obvia principibus magno spectanda paratu
 umbellasque duas vexerunt primaque summo
 pontifici, Imperio sed traditur altera sancto.
 Papaque tunc inquit primatibus Anchonitanis:
 “vadite et instanter referatur tertia nostro
 “umbra duci, umbelle quem iam dignamur honore”.
 Tunc Fredericus ait: “tua sit reverentia salva,
 “sancte pater, terre tantum duo rebar in orbe
 “esse potentatus umbelle nomine dignos,
 “tu modo sed ternum sic condere velle videris”.
 Papa refert: “sic est, Venetum sed dicimus unum
 “esse ducem membrum nostri membrumque parentis
 “Ecclesie nostraque frui sibi tradimus umbra.
 “a modo quique sibi succedent sede fruuntur
 “umbella memoresque sciant nos esse recepti
 “obsequii gratisque sibi nos esse paratos”.
 Tunc umbella duci mox est ablata tribusque
 umbellis dominum precedunt ordine terni,
 Hic modicas duxere moras dum cuncta parantur
 ornamenta vie terra gradientibus apta.
 Mox Ancon terrestre sacro patrique suisque

struxit iter, munivit equis heroas honestis,
sed patrem niveo de consuetudine manto.
Iam proficiscuntur pater et comitiva celebris
mundi primatum germanica iuncta latine,
festinare vias solito de modo coegit
pontificem germanus eques longasque dietas
transcurrere brevi iuga per salebrosa meatu.
Dumque appropinquarent urbi, quam Romulus olim
condidit et laterum circumdedit undique muro,
quos tamen Augustus mutavit marmore Cesar,
rumor abit totam patris venientis in urbem
tantorumque ducum, gaudens romana cucurrit
obviam nobilitas sua pignora cara videre:
cardinei venere patres clerique priores
imperioque satis procures et regibus olim
atque minor populus, maior sed massa virorum.
Gratius haud matri redeunti turba renident
pullorum nido residentum quando reversa
sera parens pleno saturandos visitat ore,
quam santo plausere patri romana propago
imperiique sui Frederico frena regenti
atque duci Veneto qui pacificavit utrosque.
Romulei procures populus quoque dona tulerunt
alta patri sancto pulcherrima: sindonis octo,
exhibuere quidem varii vexilla coloris
argenteque tubas totidem tribuere, sed illa
et duo rite troni, qui dantur rite duobus
principibus summis, voluit quoque participare
hoc summi patris clementia cum duce digno:
precepitque duci quod tertius aduceretur,
quem tamquam solium sedeat, quod solus eundo
dux prebere facit memor huius semper honoris,
iussit Alexander Venetorum cuncta beato

dona duci tribui, cui dux pro munere tanto
 retulit immensas grates cervice reflexa.
 Hec sunt ergo tube quas hec in tempora magni
 servavere duces hodierna luce profectum
 ante ducem reboant cum grandia festa geruntur
 et vexilla patris bene conservata decorant
 Ascensum domini Marci distensa plateis
 et quas solemnes celebrant per tempora luces.
 Postmodo procedunt pater, imperator et altus
 dux Venetum, multis iubilis succeditur urbi:
 non plus Arsacidum remeans tum victor ab oris
 Augustus populo tulit applaudente triumphi.
 Ergo ubi papalem Laterani venit in aulam
 clarus Alexander propriaque in sede resedit,
 ipse duci Venetum concessos rursus honores
 tradidit affirmans et scripti robore sanxit.
 Hinc festiva pater protraxit tempora ducens
 primates tantos loca sacra ridere per urbem.
 transeo sacratas Petro Pauloque basilcas
 et Lateranensis sanctorum sancta Iohannis
 atque Dei sancte genitricis Pantheon et que
 de nivis inditio struxerunt templa Marie
 ne foret heredis substantia divitis expers:
 que visere pater, princeps presesque ducalis
 et reliqui proceres. qua sunt Capitolia celso
 structa iugo, veniunt tandem qua Cesaris aula
 perstitit Augusti, sed postmodo fabrica tanti
 principis ecclesie formam de nomine sumpsit
 Virginis et matris que celi dicitur Ara.
 Nominis at causam scitanti papa rependit
 hec Veneto grandi: “fili mi care, potestas
 “Imperii, quam nunc Fredericus possidet iste,
 “venit in Augustum qui mundi regna subegit

“totius et poterat digne monarcha vocari.
“cum foret in tanto ditionis culmine Cesar
“hunc voluit populus Romanus dicere numen
“et velut hunc orare deum. respondit honeste
“Augustus petiitque moras responsa referre
“et sibi prudentem iussit properare Sibyllam
“pendere consilium. cui prudentissima vates
“inspirata Deo dixit: “differto parumper
“ostendamque tibi quod gentes numen adorent”
“virgineo iam nunc aderat clarissima partu
“sancta dies. intrant thalamum cum Cesare vates,
“quo poterat solis discerni purior ortus,
“aspiciuntque rotam Phebi nascentis et ecce
“intus erat virgo puerumque tenebat in ulnis.
“Mox ait Augusto veneranda Sibylla: “videsne
“hunc puerum quem virgo tenet? Deus ille deorum est.
“hunc et adorari decet, hoc non dignus honore
“alter adest. prohibe ne quis te prorsus adoret:
“tu mortalis enim, puer hic eternus et idem
“filius ipse Dei, Deus hic est trinus et unus.
“tresne vides soles? hos iam coniunget in unum
“meridies”. Factum est ut vates prescia dixit.
“Utque Deum vidit celesti in sidere Cesar,
“obstupuit visu tanto, ciet inde senatum
“et sibi visa refert, orari se vetat, illum
“dixit adorandum qui solis in orbe refulsit.
Hac et in ecclesia iussit monstrare ministros
mirificum pictoris opus pater, ut puta sacre
virginis effigiem quam Luce dextera sancti
pinxerat inque sue doctricis imagine totum
exhausit sensum totius et artis acumen
quantaque virgo fuit tabule designat imago.
pluraque diverso miracula tempore gessit

e quibus ipse pater recitat de pluribus istud:
 “Tempore Gregorii qui nos precessit in alma
 “sede, diu mortis fuerat teterrima clades
 “aeris infecti totam communis in urbem
 “magnaque pars populi cecidit quod et ultio fecit
 “digna Dei, meritis qui dat sua premia cunctis.
 “ipse Deo pestem noscens ob crimina missam
 “Gregorius precibus placar! iussit eundem.
 “circuiens almam iussit preferre figuram
 “scilicet hanc laudesque Deo gradiendo canebant.
 “quaque ferebatur Christi genetricis imago,
 “protinus ante illam fugiebat pestifer aer
 “ut caligo solet solis fulgore fugari.
 “Utque fuit totam processio facta per urbem
 “pervenit sacra populus preeunte figura
 “angelico qua nunc de nomine porta vocatur,
 “Ecclesie doctor celeberrimus Gregorius alto
 “marmoree turris prospexit. vertice stabat
 “angelus et tergens gladium quasi cedere cruentum
 “imposuit forulo. tunc hic sanctus pater inquit:
 “finis adest pesti, pesti fuit hic quoque finis”.
 Hec ut Alexander dixit, flexere figure
 colla duces, icon celebri de more locatur,
 nondum cordiferi pater Ordinis ille verendus
 Franciscus vite dederat monimenta beate,
 necdum natus erat nec postmodo tempore grandi.
 Hanc sua Francisci sacrosanctam nunc tenet edem
 posteritas nutuque Dei per seda tenebit.
 Inde pater, visu postquam pavere beato
 lumina, secessit tanta comitante caterva.
 Postmodo sed relique lucis sub tempore patrum
 ipse pater visum comites mirabile duxit,
 carcere qua Petrus Paulusque fuere profundo.

Tarpeio sub colle quidem specus altior infra
porrigitur saxum, geminis quasi passibus itur
huc gradibus spatiique brevis iacet area plano.
Ex hac areola rursus descenditur et bis
hinc tantum spatii descendit scala, sed illam
vel natura dedit vel scalpris ipsa recisa est,
parvula sub solido latet illic mansio saxo.
Iste lacus siccus quondam similatur abysso
nec recipit radios nisi si quos attulit ignis.
Hic sanctos diri iussu posuere Neronis
et plures aliquo mulctandos crimine, quorum
auribus infudit Petri Paulique salubris
lingua fidem Christi et regni celestis amorem.
Conversique viri sanctorum voce duorum
respondent: “nobis cupidis ut simus et ipsi”
christicole, quodcumque opus est facitote, rogamus”.
“Sumere si Christi cupitis de nomine nomen”
Petrus ait “vestrasque animas super astra levare,
“vosque Deum patrem credatis in omnipotentem”
qui celum et terram verbo qui cuncta creavit,
“inque suum genitum pariter vos credite Christum
“qui patris est verbum patris et sapientia virtus
“baptismique sacro de fonte lavaminor”. Aiunt
captivi: “quecumque, patres, credenda refertis”
credimus et toto veracia corde fatemur
“et sancto petimus baptismi fonte lavari”.
Utque voluntatem comitum Petrus aspicit et nil
preter aquam plenis votis utriusque deesse,
ipse genuflectens Dominum, prece supplice, poscit
ut sibi mittat aquas. Solido dulcissima saxo
mox aqua prosiluit, modicum dedit undula fontem
et manet usque hodie: quantumvis deme nec unquam
deficiet quantumque sinis non creverit ultra.

His cathecuminos tunc lavit apostolus omnes
 baptizans limphis fidei quoque fecit amicos.
 Hunc et fonticulum ducibus pater ipse sacratum
 ostendit visuque duces gustuque probarunt.
 Quique per id tempus career fuit horridus, idem
 nunc locus ecclesie celebrem super accipit aram.
 Hinc alios fontes divino munere missos
 principibus monstrare pater qua Paulus ab alma
 dimisit cervice caput, post tempore venit.
 Tres etenim fontes Pauli mors lactea fecit
 quaque fuit primo caput a cervice recisum,
 prosiluit fons vivus aque saltusque gemelli
 truncati capitis fontes fecere gemellos.
 Haud alium fontem pater ille beatus omisit,
 qui natalitio Christi defluxit in amnem
 fons olei veri splendente liquamine Tibrim.
 Tunc reserasse patrem referunt et federis arcam
 idque, quod intus habet, ducibus monstrasse duobus,
 ut Moysis tabulas, eremique, quod urceus auri
 servat aduc mannam et virgam que floruit Aaron.
 Sanctaque sanctorum ducibus patefecit eisdem,
 sic fama est. Dominique breves de corpore sumptas
 particulas: tanti thesauri dona videri
 permisit geminis. que circumcisa remansit
 hebraico de more caro monstrata refertur,
 ex umbilico decisa caruncula Christi
 sanctorumque pedum sandalia quicquid et illic
 clauditur archanum reseratum ac ordine visum est.
 Tunc Christi vultum quem sancta Veronica pandit
 et cunas tunicamque suam videre verenter
 et pater et patri libuit quos cernere sancto.
 Ergo ubi thesauros quos urbs Romana reservat
 ostendit, Frederice, tibi, clarissime princeps,

et tibi, dux Venetum, magnis par regibus ipse,
dignus Alexander papali sede, repleti
muneribus largis a sancta matre receptis
ad proprium rediistis iter diversa petentes.
Utque patri fecere vale de more beato
et sacra totus discessit cetus ab urbe,
pro commissorum venia Fredericus habenda,
ut Sanctam redimat Terram proficiscitur. at nunc
historie alterius cui cedimus inchoat ordo
deque suis gestis non ulteriora canemus.
Ipse quoque ad Venetam remeans dux inclitus urbem
scriptaque grata ferens, sumptorum pignus honorum,
a populo et primis est leta fronte receptus.
Nunc quoque tot donis letatur terra receptis
dumque fluet circum pontus, letabitur olim.
Fine dato nostris digne tibi sumpto libellis,
o pater et fili cum sancto flamine, grates,
et tibi quem nostro bis sensimus esse favori,
Marce sacer, sumpto pro munere dentur honores.

Venetiane pacis inter Ecclesiam et imperatorem
Castellani Bassanensis liber secundus feliciter explicit.
Deo gratias. Amen.

Accipe, Dandulea Venetum dux inclite prole,
quem fecere ducem genus et sapientia, mores,
eloquium, virtus, multa experientia recti,
hoc, Francisce, mei munus non grande libelli
exterius, tamen intus habens pregrandia sceptro
a dominis mundi merito data dona ducali.
Hoc ego Bassani, quod do tibi, natus amena
in patria et toto cum munere suscipe vatem,
quippe tuo patrieque tue felicitis honori
Castellanus amans felicia carmina dono.

Hanc ego veridicam dum scripsi Carmine pacem
in tutis Venetum laribus, centesimus annus
quatuor adiunctis et quinquaginta fluebat
prescripte post gesta rei, velut infera clari
metra ducis tumulo, qui post obit inde per annum,
cenobio sancti testantur sculpta Georgi.
Hic dux egregius sapiens dives cinerescit,
vivit cum Christo, mundo sua fama nitescit,
Sebastianus vocitatus in orbe Zianus.
Cum papa princeps clerus plebs hunc recalebat,
iustus purus castus mitis cuique placebat,
consilio pollens, bona plantans et mala tollens,
robur amicorum, patrie lux, spes miserorum
et flos cunctorum dux electus Venetorum.
Binos coniunxit gladios et Marte refulsit
eloquium sensus bonitas clementia census
isti parebat, nulla virtute carebat.
Anno milleno centeno septuageno
octavo aprili situs est hic morte senili
huncque dies plenus lacrimis rapuit duodenus.
Deo gratias, amen, sis nobis, Christe, iuvamen.